



M. AGRIPPA in pedes dicitur ex vtero matris egressus, vnde nomen auspicatus sit vnico felicitatis exemplo, quanquam ille plurima sit passus, duabus susceptis Agrippinis: quibus C. Caligula & Nero, principes, totidem generis humani faces geniti sunt. Hic gener fuit Augusti, coronâq; nauali ab eo donari meruit bello Actiaco, anno mundi 3930. ante Christum natum 32. de quo Verg. lib. 8. Aene.

*Parte alia ventis, & Dijs Agrippa secundis.*

Altera Agrippinarum, nempe filia Agrippæ huius, nupsit Germanico, quæ peperit C. Caligulam. altera verò, neptis ex filia, Domitio Neroni primùm nupsit, ex quo Neronem peperit, deinde Claudio Cæsari, quem postea boletto sustulit. Hic M. Agrippa aquam Marciam, omnium saluberrimam, Romæ restituit: cōplurâq; alia præstitit, de quibus vide Plinium lib. 31. ca. 3. atque alios in locis, maximè li. 16. ca. 4. & li. 7. ca. 8. Fuerunt alij Agrippæ, vt Menenius, item filius Aristobuli, à Tiberio coniectus in carcerem, & à C. Caligula liberatus, Rêxque Iudææ factus: de quo vide in 2. huius operis parte.

IULIA Augusti & Scriboniæ filia, quæ primùm pacta fuerat Marcello adulescenti, vt is obiit, M. Agrippæ supradicto nupsit: quo defuncto, Tiberio Augusti priuigno, nupsit, qui coactus est ab Augusto prægnantem vxorem, & ex qua iam pater erat, dimittere: vt in Tiberio dicemus. Hanc omnibus probris contaminatam, relegauit Augustus per quinquennium: vsum vini, & delicatorem cultum ei ademit: neque adiri à quoquam nisi se consulto permisit. hæc Agrippinam peperit, quæ Germanico vxoris suæ nepoti collocauit Augustus, ex quo Agrippina secundâ alteram Agrippinam peperit, Neronis matrem. Sueton. in Augusto,